

§. III.

DE VARIA SEQUESTRI SIGNIFICATIONE.

MAIORIS momenti et ponderis atque utilitatis ea est quaestio, ad quam tractandam iam progredimur, qua quaeritur: quae vis et notio huic voci insit, quidue eadem significetur? quae et ipsa grammatica est. Neque otiosa, puto, cuiquam videbitur haec tractatio hoc loco a nobis suscipienda, quo potissimum de sequestrationis notione curatius finienda disputare instituimus, in primis, quum multi iureconsultorum hanc quaestionem de multiplici et vario sequestri significatu neglexerint, quam nemo curatius CUIACIO tractavit ^{a)}, quem nos potissimum sequemur, quamquam plures, quam is recensuit, significatus distingui posse videntur. Vocabulum autem, licet πολύσημον, hanc tamen videtur generalem et communem habere notionem, ut significet tertium quemdam, qui medius inter duos pluresue intercedit aut adhibetur. Ad hanc enim generalem notionem videntur omnes significationes huius vocis posse quasi ad consensum reduci, ideoque hanc generaliter erutam praemittimus, ut ex eadem, quasi omnem vim vocis complectente, evoluantur singulae eiusdem adceptiones, et adpareat, quomodo ex simplicioribus, adiectis sensim aliis aliisque notionibus, natae sint et compositae variae significationes specialiores. Ita ad hanc

a) In primis ad c. *sequester* 110. D. de V. S. ubi ex veteribus glossis tres significationes tradit, ut sit sequester vel μεσίτης, vel ἑντρίχος, vel συνθηκοφύλαξ. CUIACIVM ex-

scripsit PETR. MULLER ad STRUVII *Syntagm. iur. civ. Exerc. 21. tb. 46. lit. a.* eundem sequuti videntur CLVDIVS l. c. c. 1. n. 2-4. et RAHNEN l. c. *posit. 1.*